

Primo, Status et Ordines Regni de consistentia hujus Consilij per elargiendum Benignissimum Diploma securos reddere, eidemque tres Comitatus Slavoniae, quemadmodum in Juridicis, Politicis et Militaribus jurisdictioni Bani et Regni Reincorporati traderentur, ita in oeconomicis et rationariis huic consilio subjiciantur.

Secundo, Quod seu mortuo, seu ad aliud officium translato, seu demum resignante Bano, Sua Majestas Sacratissima eidem semper successorem datura sit Virum de Principe et Sacra Corona Meritum, Nativum Coronae subditum, factisque Militaribus jam eousque conspicuum, ac

Tertio, Quod non obstante Bani in hoc Dicasterio Praesidio, Commando Confinij Banalis, ad tenorem Benigni Diplomatis de 1750 emanati, semper penes Comitem Banum, et quidem successores permaneat, idque tanto magis, quod in illa Turcae Vicinia naturalis sit intra copias Regni Banalisque Confinii Militis ex ipso situs loci nexus, et Copiae Regnicolares ex ipso nationis genio sub nullius quam sub Bani ductu tam bonas facturae sint operationes; neque minus

Quarto, Quod hoc consilium, in sensu Articuli 101. 1723 Anni erigendum, nullo unquam tempore reducendum, a solo Rege mediante Canali Cancellariae Regio-Hungaricae dependebit, operationesque suas nec secus quam in Systemate Gubernij Regni Hungariae, cujus Sacrae Coronae Pars indissolubilis Croatia esset, in sensu Legum ejus et Regni directurum sit.

Quinto, Quod per erectionem ejusdem Consilij legali una et Privilegiali Statuum et respective Bani circa propositionem Bani, denominationem Capitanei et Vice-Capitanei Regni, Constitutionem Vice-Bani, Ablegatorum ad Diaetam exmissionem, Electionem Protho-Notarij, Exactoris et Commissarii Regni, ita et Sigilli usum, Congressum Regni, Consurrectionis, aliorumque publicum Regni statum tangentium negotiorum regulationem nihil praejudicabitur.

Sexto, Ut intuitu Militarium negotiorum, per hoc consilium pertractandorum, idem Consilium nonnisi in mixtis Politico-Militaribus, in quibus Consilium Regium Locumtenentiale in Hungaria Procederet, confluxum habere possit.

Septimo, Quia defectus Subjectorum ad hoc Consilium applicandorum nunquam tantus emersurus speraretur, ut nativi Patriae in hoc Regno Servientes Filij haberi non possint, tales duntaxat et ad id applicentur; et propter cumulationem negotiorum graviorum, per idem Consilium pertractandorum, Benigne denominatis commembris adhuc unus ex statu Magnatum, et unus ex statu Equestri eidem consilio adjiciantur.

Octavo, Ut idem consilium et Activitate et Stipendiis Consilio Locumtenentiali, ad cujus normam erigeretur, exequetur.

Nono, Quia Zagrabiae, veluti in meditullio Regni, indeque Loco pro acceleratione altissimi Servitij, cumprimis comercij circulatione commoditateque omnium Regnicolarum opportiori et commodiori, figendum speraretur, de erigenda